



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Vtrum in vna & eadem congregatione, plures quàm vna Missa simul  
celebrari debeant 79

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**



verò Aduersarij ex nullo probato ac fide digno Doctore, nullisque Conciliorum ordinationibus & decretis comprobabunt.

Idem & Liturgiæ testantur, non tantum Græcæ, verumetiam Latine, nec non illæ, quibus quotidie vtuntur, Aduersarij. In Canone enim suo post Consecrationem dicunt, Supplices te rogamus omnipotēs Deus, iube hæc proferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ: vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Quoniam igitur hæc oratio essentialis Pars Canonis est, vnicuique in promptu est videre, quando hæc oratio primum composita fuit, & rectè, non ad ludibrium diuinæ maiestatis, vt hactenus longo tempore factū est, vsurpata, multos corpus & sanguinem Domini (nota corpus & sanguinem) vnà cum sacerdote percepisse: *Vt quotquot (inquit) ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus & sanguinem Filij tui sumpserimus.* Nota, Quotquot, item, *Ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus & sanguinem sumpserimus.* Post Adhac sequuntur Collecta, Sacramenta quæ sumpsimus, Item, *Mysteria tua, quæ percepimus,* & id genus alia.

Sic in Liturgia Dionysij, aliisque Græcis & antiquis & præsentibus, longè adhuc clariùs expressum est, dispensationem sacramentorum essentiali partem esse veræ administrationis Cœnæ Dominicæ. In his enim Liturgiis expressè ponitur, quomodo sacerdos populum ad participationem perceptionemque sacramentorum adhortari, & ea ipsi distribuere debeat.

Quapropter verum est, & manebit verum in æternum, quòd quemadmodum ordinatio Domini nostri Iesu Christi clarè ac perspicuè requirit, ita veteres & ecclesiæ, quæ in mandato Domini firmiter permanserunt, nullam missam sine communicantibus celebrauerint: quòdque id facere nullis Christianis quacunque ratione licitum & concessum.

### Altera quæstio principalis.

*Vtrum in vna eademque communitate plures simul missæ celebrandæ sint.*

#### CAP. LXXIX.

**D**E hac quæstione rursus manifestum verbum Dei proditum est per D. Paulum dicentem, *Cum conuenitis in eundem locum, non licet Dominicam Cœnam edere, quòd vnusquisque propriam Cœnam occupat in edendo.* Et postea quâ Apostolus exemplū mandatūmq; Domini, quæ admodū ipse Cœnā suā celebravit, ac celebrari præcepit, exposuit: in super correctionis



correctionis quoque ac pœnæ quam Dominus propter inordinatâ Cœnæ obseruationem Corinthiis immiserat, mentionem fecit, concludit istis verbis. *Itaque fratres mei cum conuenitis ad comedendum, alius alium expectet.*

Iam si Cœnam Domini manducare non est, vbi in eadem congregatione plures quàm vna Cœna administrantur, perspicuum etiam est, id nulli Christiano licitum esse posse. Quare & apud antiquos inauditum fuit, in vno Templo plura esse altaria, quàm vnum, plures etiam quàm vnâ S. Cœnam eodem tempore administrari.

Quoties D. Cyprianus, quando de vnitâ Ecclesiæ loquitur, vnici altaris meminit? illum quæ imitati reliqui S. Patres?

Verum quidem est, olim cum templa angustiora essent, quam vt totum populum qui conueniebat, capere posset, S. Patres in solennioribus festis plures quàm vnâ missam in vno eodémque templo celebrarunt, verum non simul, sed vnâ post alteram, & quamlibet præsentem aliqua parte populi, quæ scilicet priori S. Cœnæ interesse non potuit. Cuius rei peculiaris habetur instructio Leonis Papæ ad Dioscorum Alexandrinum 79. de quo non nihil etiam habetur de Consecr. Dist. 1. cap. Necessè.

Ex hoc fundamento scribit D. Ambrosius in hæc verba: *Munus oblati totius populi esse debet, per vnum enim panem omnes significatur: propterea enim quod vnum sumus, debemus omnes de vno pane participare.* Quod etiâ Apostolus testatur 1. Cor. 10. qui locus in libro Reformationis adductus est, *Vnus panis, vnum corpus, multi sumus: Nam omnes ex eodém pane participamus.*

Quem locum Aduersarij libenter inani quadam Sophisticatione in alium sensum detorquerent, & ad solam spiritualem perceptionem referrent. Dicunt enim Apostolus hoc scripsisse, quando absens à Corinthiis erat, & de eodem Sacramento cum illis participare non poterat. Consistere igitur communionem huius Sacramenti, etiam si de vno Sacramento non participemus. Verum Christiani qui neque rixas, neque veritiam ac technas, sed piam veritatem in tam sublimibus ac diuinis rebus quærunt, non ignorant quis sit genuinus horum verborum Apostoli sensus & intellectus. Nempe, *Nos multos esse, vnum panem & vnum corpus, propterea quod nos omnes, qui libet in suo loco, in sua Ecclesia & congregatione, semper de vno pane & vno Sacramento participamus.*

Cumque sacerdos in hac S. actione Christum Dominum representare, eiusque vice fungi: omnis in super precatio Ecclesiæ ex vno ore eadémque mente procedere debeat: totus item Christus in vnico Sacramento dispensari possit: denique cum Christus ipse S. Cœnam hoc modo instituerit, Sancti Apostoli Ecclesiis ita tradiderint, & antiquæ Sanctorum Martyrum ac Patrum Ecclesiæ nunquam aliter obseruarint, quæpiam piæ ac rationabiles causæ excogitari possunt, propter quas in vno templo & in vna fidelium cōgregatione, præsertim vbi præfetes omnes vnus Sacerdotem probe audire, & de vno altari Sacramenta cōmodè percipere possunt, plures quàm vnâ missæ celebratur, præcipuè cum singula missæ, vbi plures in eodém loco celebrantur, attentione aliarum impediât. Neque enim ad omnia (Dominus vobiscum) simul responderi: neque ad omnia (Oremus) attendi potest.



Verum cum eiusmodi verbis iocandum & ludendum non est, neque ea in aëre tantummodo pronuntianda. Cæterum homines isti grauissimum hunc errorem atque omnimodam sicut S. Cœnæ Christi ita vniuersæ fidei Christianæ peruersionem defendere cupiunt, vt homines ista sacrifici actione, quam sine intellectu & fide audierunt ac contemplati sunt, non autem communicarunt, loco meriti Domini nostri Iesu Christi confidant, damnatamque conscientiam suam ad omnia peccata confirment. Idque faciunt propter perniciosum lucrum, quod ex præbendis, & oblationibus missisque quas mercede conducti faciunt, vnâ cum æstimatione & autoritate in hoc mundo percipiunt. Quos Christus Dominus spiritu oris sui breui in vniuerso mundo destruere & auferre dignetur, largiri que vt vera sacratissima ac salutifera Cœnæ suæ obseruatio rursus rectè intelligatur, restituatur, & in opere conseruetur. Amen.

### Tertia Quæstio.

*Vtrum reprehensibile sit S. Cœnæ adstare, non tamen simul communicare. Et responsio ad eandem, sumpta ex scripturis & Sanctis Patribus.*

#### CAP. LXXX.



**H**TIAM de hac quæstione apertum habetur verbû Dei, quod ad omnes qui apud S. Cœnæ tractationem præsentés adsunt, in nomine illius pronuntiatur, Accipite & comedite: accipite & bibite ex eo omnes. Iam verò reprehensioni quàm maximè obnoxium est, Christo Domino fidem non adhibere: nempe quod ibi nobis porrigat, & tradat cibum ac potum vitæ æternæ. Fieri autè nequit, vt quis firmiter ac solidè hoc credat, Domino verò in eo non obtemperet, cibumque ac potum vitæ æternæ non summa cum gratiarum actione ac deuotione percipiat.

Non minus reprehensibile est, se in quamcumque actionem diuinã ingerere, ad quam quis deprehendit se minus esse idoneum. Iam verò constat, administrationem S. Cœnæ à Christo cum illis discipulis esse peractam, quibus omnibus corpus & sanguinem suum porrexit, iussitque vt omnes ea accipiant, manducant ac bibant. Ad sacram igitur hanc actionem nemo idoneus esse potest, qui Sacrosancta Sacramenta ad salutem suam percipere nescit, hoc est, qui nondum vult esse discipulus Iesu Christi, vel nondum tam plenè in doctrinam & obedientiam Domini se tradidit, vt in Domino manere velit, cupiatque vt Dominus maneat in ipso.

Hinc est quod S. Patres firmiter ac seriò obseruarunt, vt post publicam doctrinam & preces, antequam tractationem S. Cœnæ auspicerentur, ab Ecclesia Christi amouerent, non tantum catechumenos & Energumenos,